

## GAUDEAMUS IGITUR

G C D7 G  
1. Gaudeamus igitur, juvenes dum sumus.

G C D7 G  
Gaudeamus igitur, juvenes dum sumus.

D G D G D  
Post jucundam juventutem, post molestam senectutem  
G C G D7 G C D D7 G  
nos habebit humus! Nos habebit humus!

2. Vita nostra brevis est, brevi finietur.  
Vita nostra brevis est, brevi finietur.  
Venit mors velociter, rapit nos atrociter,  
nemini parcetur. Nemini parcetur.

3. Ubi sunt qui ante nos in mundo fuere?  
Ubi sunt qui ante nos in mundo fuere?  
Vadite ad superos, transite ad inferos,  
hos si vis videre. Hos si vis videre.

4. Vivat academia, vivant professores.  
Vivat academia, vivant professores.  
Vivat membrum quodlibet, vivant membra quaelibet,  
semper sint in flore! Semper sint in flore!

5. Vivant omnes virgines faciles, formosae.  
Vivant omnes virgines faciles, formosae.  
Vivant et mulieres, tenerae, amabiles,  
bonae, laboriosae! Bonae, laboriosae!

6. Vivat et respublica et qui illam regit.  
Vivat et respublica et qui illam regit.  
Vivat nostra civitas, maecenatum caritas,  
quae nos hic protegit! Quae nos hic protegit!

7. Pereat tristitia, Pereant osores.  
Pereat tristitia, Pereant osores.  
Pereat diabolus, quivis antiburschius,  
atque irrisores! Atque irrisores!

8. Quis confluxus hodie academicorum?  
Quis confluxus hodie academicorum?  
E longinquo convenerunt, protinusque successerunt  
in commune forum; In commune forum.

9. Vivat nostra societas, vivant studiosi.  
Vivat nostra societas, vivant studiosi.  
Crescat una veritas, floreat fraternitas,  
patriae prosperitas. Patriae prosperitas.

10. Alma mater floreat, quae nos educavit.  
Alma mater floreat, quae nos educavit.  
Caros et commilitones, dissitas in regiones  
sparsos, congregavit. Sparsos, congregavit.

Traditionell